

## De Aeschyli Oedipodea.

(Spec. I.)

EX quo vir summus Fridericus Theophilus Welckerus difficilem illam de tetralogiis tragicorum graecorum quaestionem magna doctrina instituere coepit, quum de universa tragoediae natura et indole rectius iudicatum, tum inprimis Aeschyli fabularum ratio in elariorem protracta est lucem. Probata est ex eo inde tempore a viris doctis Welckeri sententia, Aeschylum in certaminibus illis scenicis, quae quotannis Athenis celebrabantur, nunquam certasse, nisi tetralogiis sive ternis tragoediis et fabula satyrica sese deinceps excipientibus. Quum autem ex multis excelsi poetae tetralogiis una tantummodo eaque omnibus numeris absoluta paene integra ad nostram pervenerit aetatem, multi deinceps exstiterunt viri clarissimi, quorum in numero eundem Welckerum et Hermannum nominare satis habeo, qui non solum in Orestia, cuius tetralogiae ultimam partem, drama satyricum, deperditam esse vehementer dolemus, accuratius per-vestiganda insignem collocarunt operam, sed etiam id egerunt, ut ex fabulis, quarum nomina apud veteres scriptores et in catalogo Aeschyli vitae adiecto commemorantur, eas seligerent atque consociarent, quas eadem tetralogia vel trilogia coniunctas fuisse verisimile esset.

Quae quidem coniiciendi ratio quam dubia sit quantisque implicita difficultatibus, nemo non intelliget, qui consideraverit, quum illarum fabularum iam fere nihil praeter nomina nobis sint servata, vix ac ne vix quidem de argumentis earum quicquam certi posse statui. Quae quum ita sint, fieri non potuit, quin, qui in hoc studiorum genere versarentur, in diversissimas discederent partes. Placet, quae dixi, quum pluribus exemplis possim, uno certe sed eo illustri confirmare. Quum in vetere catalogo, cuius supra mentionem feci, octo deperditarum fabularum nomina reperiantur, quae ad res Thebanas et Labdacidarum fata aut certo referuntur aut referri posse videntur, certatim viri docti elaborarunt in eo, ut ex illis fabulis et Septem adversus Thebas tragoedia ternas, quas argumenti perpetuitate quadam contineri credibile esset, fabulas coniungentes unam pluresve trilogias, quas vocant Thebanas, ab Aeschylo scriptas fuisse docerent. Ut silentio praetermittam, qui parum diligenter atque obiter hanc quaestionem attigerunt, (cf. Schneidewin. in *Philologo* III, p. 349) prae ceteris tanquam dux omnium et signifer nominandus est Welckerus, qui singulari eruditionis copia instructus rem diligentissime examinare totumque disputationis pondus excipere non recusavit. Is quum in libro, quem de trilogia scripsit, (p. 354) Laium, Sphingem, Oedipum eadem trilogia coniunctas fuisse statueret, praeter hanc duas alias de rebus Thebanis trilogias ab Aeschylo factas existimavit; earum in priore fuisse affirmat Nemeam, Septem adversus Thebas, Phoenissas, in altera Eleusinos, Argivos, Epigonos. Sed idem Welckerus in *Diurnis scholasticis* a. MDCCCXXXII haec ita refinxit, ut

eam fabulam, cui Eleusiniis nomen indidit, prioris istarum trilogiarum tertiam fuisse diceret, Oedipum vero faceret tertiam alterius trilogiae, denique Epigonos, quam antea tertiae trilogiae postremam voluerat esse fabulam, in primum eiusdem trilogiae locum introduceret, Phoenissas tertiam sedem occupare iubens. Jam vero paucis annis post Welckerus in eo libro, quem de tragoedia graeca scripsit, (I, p. 29) priore reiecta sententia, trilogias Thebanas Aeschyli docet fuisse hasce:

Laius, Sphinx, Oedipus.  
Nemea, Septem, Eleusinii.  
Epigoni, Argivi, Phoenissae.

Neque vero, cur ita concinnaret trilogias, ut in re prorsus incerta, satis probabiles causas poterat proferre. Similiter Godofredus Hermannus, vir summa auctoritate summaque doctrina, postquam missa ea sententia, quam in disputatione de compositione tetralogiarum (p. 11) proposuerat, universam hanc quaestionem denuo in dissertatione de Aeschyli trilogiis Thebanis magno, quo excellit, ingenii acumine diligenter excussit, adeo non sibi satisfecisse visus est, ut nihil certi se assecutum et expectandum esse, donec quid novis repertis testimoniis innotescerèt, ingenue profiteretur. Post hos aliorumque virorum doctorum irritos conatus peropportune accidit, ut Joannes Franzius, quum post Orestiam editam accuratiorem codicis Medicei collationem faceret, in hoc vetustissimo Aeschyli exemplari novum testimonium inveniret ederetque, quo omnes omnium de tetralogiis Thebanis opiniones labefactatae conciderunt, nisi forte volumus quorundam nimis suspiciosorum sequi sententiam, qui, ne omitterent istas, quas supra commemoravimus, coniecturas, didascaliam spuriam esse posuerunt.

Auctumno igitur a. MDCCCXLVII J. Franzius Septem ad Thebas fabulae didascaliam reperit hanc:

*Ἐδιδάχθη ἐπὶ Θεαγένους Ὀλυμπιάδι σὴ.  
ἐντα Λαίῳ, Οἰδίποδι, Ἐπτά ἐπὶ Θήβας,  
Σφιγγὶ σαυροκίῃ κ. τ. λ.*

Sic benignitate quadam fortunae unius tetralogiarum, quas dicunt Thebanas, ratio subito in clariorem protracta est lucem, quae, ni fallor, iam pridem affulsisset, nisi viri docti de nominibus tragoediarum fictisque earum argumentis coniectare, quam a superstite «cycli» Thebani fabula proficiscentes ceteras eiusdem tetralogiae fabulas indagare ac divinandi quadam vi, quoad eius fieri posset, restituere maluissent. Verum ne nunc quidem operam perdidisse existimandus est, si quis omnia trilogiae indicia ac vestigia, quae plurima per fabulam Septem ad Thebas non pressa leviter sed fixa apparent, rimando atque ad amussim exigendo coniectura assequi studuerit, quod iam didascaliae testimonio sumus edocti, ac deinde quaesierit, si quid de argumentis deperditarum fabularum possit statui. Haec fere praemittenda esse ante videbantur, quam accederem ad quaestionem, quam pertractandam mihi proposui, quae est de ratione, quae intercesserit inter Septem ad Thebas ceterasque eiusdem tetralogiae fabulas. Quam rem ita persequi in animo est, ut priore capite poetam ipsum tanquam sincerissimum testem adhibens Septem ad Thebas postremum locum tenuisse in trilogia, cuius prima fabula fuerit Laius, secunda Oedipus, efficere et falsas quorundam virorum doctorum de trilogiis Thebanis opiniones paucis refutare coner, posteriore autem capite, in quo summa huius disputationis vertitur, quale singularum Oedipodeae fabularum argumentum fuerit, quoad eius fieri potest, ex ipsius poetae verbis dictisque colligere studeam.

## Caput I.

Gravissimum argumentum, quo efficitur, Aeschylum fata Labdacidarum complexum esse trilogia, et primum locum in ea tenuisse Laium, secundum Oedipoda, tertium denique Septem ad Thebas fabulam, petere licet ex huius tragoediae stasimo secundo, in quo recte interpretando fere omnis nostra versatur disputatio. Quum enim Eteocles pugnam cum fratre Polynice initurus summa cum animi commotione et atrocissima quaeque augurans a scena discessisset, Thebanarum virginum chorus pertimescit, ne fratrum caede mutua antiquae illae Laii et Oedipodis calamitates cumulentur. Tum fati vim invictam agnoscens generis Oedipodei malorum originem ad Laii antiquam *παρβασίαν* refert, qui Apollinis ter oraculo Pythio monentis, sine prole mortuum urbem illum esse servaturum, numine spreto, Oedipum sibi genuerit patricidam, inde repetendas esse nefandas istas filii cum matre nuptias, inde diras patris imprecationes. Singularem in hoc cantico a poeta institutum est, ut chorus non modo, quae mox eventura sunt, mala praesagiat, verum etiam respiciat ad ea, quae Labdacidarum domus iam perpessa est. Quae ars in eo maxime cernitur, quod eo ipso tempore, quo Erinnys ultimam de ambobus fratribus sumtura est vindictam, chorus ita loquentem facit, ut spectantium animi, variis distracti cogitationibus, advertantur ad ea, quae in superioribus tragoediis aguntur, Laii et Oedipodis fata. Ponitur enim ante oculos quasi tota Labdacidarum historia tripartita, sive tribus partibus vel actionibus ad finem perducta, primum Laius, qui propter oraculorum contemptum filii manu interemptus est, deinde Oedipus patricida ac nefando pollutus matrimonio, denique filii, qui iam in eo sunt, ut fatales poenas luant. Quae quum illius cantici ratio sit, quis neget, indicia inesse satis manifesta, ex quibus appareat, Labdacidarum trilogiam, sive Oedipodeam dicere mavis, fabulas complexam esse has: Laium, Oedipum, Septem ad Thebas? Sunt autem non modo in hoc chori carmine, sed etiam in ceteris fabulae Septem partibus nonnulli loci, quibus Laium primam fuisse trilogiae fabulam, plures vero, quibus Oedipum medium in ea locum tenuisse evincitur. Ac primum quidem Laii fata peculiari tragoedia ab Aeschylus fuisse tractata, quum aliis de causis certissimum est, tum inprimis eo, quod Aeschylus de industria totam malorum seriem non a solis Oedipi execrationibus, sed altius repetens ex antiquo illo Laii delicto (*παλαιγενής παρβασία*) ortam proponit. In eo enim loco, ubi nuntius ex urbe adveniens (v. 773 seqq. ed. Herm.) chori praesagia vera fuisse, urbem servatam quidem, fratres vero mutua caede interemptos esse narrat, totius generis calamitatum causa et origo ad Laium refertur, siquidem Apollo huic iratus propter violatam oraculorum sanctitatem non modo ipsi, sed etiam posteris interitum parat. Chori verba sunt haec:

*Τὰς ἑβδόμας ὁ σμινὸς ἑβδομαγέτας  
ἄναξ Ἀπόλλων εἶλετ', Οἰδίπου γένει  
κραινὼν παλαιὰς Λαίου δεσβολίας.*

Haud dissimilis est ille locus, (v. 671 seqq.) in quo Eteocles, quum iam in eo sit, ut cum fratre congregiatur, choro iram eius effervescentem sedare conanti haec respondet:

*Ἴτω κατ' οὖρον κῆμα Κωκυτοῦ λαχόν,  
Φοίβω στυγηθέν, πᾶν τὸ Λαίου γένος.*

non obscure significans, Labdacidarum stragem tripartitam initium duxisse a Laio, qui, quum in Apollinis invidiam inciderit, et sibimet ipsi et posteris maximam attulerit perniciem. Denique in versibus 820 seqq. eius cantici, in quo exponitur, miseram fratrum necem ad execrationes Oedi-

podis quasi ad proximum fontem referendum esse, chorus, ne factorum nexus ignoretur, etiam altioris malorum causae mentionem facit his verbis:

*βουλὰὶ δ' ἄπιστοι Λαῖου διήροχσαν.*

Porro, quae fabula medium locum habuerit inter Laium et Septem adversus Thebas, quam vix opus est quaerere, quum ex iis, quae supra de trilogiae Labdacidarum ratione disputavimus, non modo probabile, verum etiam certissimum sit, Laio posteriorem fuisse fabulam, quae ageret de Oedipi casibus, tamen non inutile videtur, id quod per se satis certum est, quam plurimis firmare argumentis. Quorum in numero imprimis commemorandae sunt Oedipi execrationes, quibus poeta quum in aliis Septem fabulae partibus tum vero maxime ἐν περιπέτειᾳ egregie ita usus est, ut mediae fabulae argumentum spectantium animis perpetuo obversetur. Jam ab initio fabulae subit imago miseri senis execrantis. Eteocles enim verens, ne patris imprecationes iamiam eventurae urbem funditus evertant, eas precibus invocat tanquam deas, atque haec dirarum, quo primo fieri poterat loco, commemoratio indicare videtur, Eteoclis non magis quam spectantium animis obversari eam cogitationem, ad hasce omnia revocatum iri. Jam vero idem Eteocles, qui in urbe tuenda tot tantisque curis distractus, dirarum patris oblitus esse videtur, postquam nuntium accepit de porta septima a Polynice occupata, haec fundit verba furoris plena:

*ὦ θεομανὲς τε καὶ θεῶν μέγα στυγός,  
ὦ πανδέζοντιον αἰὼν Οἰδίοιο γένος (v. 634 seqq.)*

Quae autem sequitur scena Eteoclis ad fratris caedem pergentis et chori a proposito periculo eum avocare conantis, quam certe omnium maxime animos spectantium anxios atque suspensos tenuisse putandum est, tota nititur Oedipi diris. Choro enim hortanti, ut nefario fratris occidendi desiderio resistat, respondet Eteocles, se a patris Dirarum, quam inimicam siccis oculis sibi assidere affirmat, ad id ipsum propelli; moriendum igitur sibi esse statuit, et quum chorus morti adulandum esse monet, fatum enim mutata mente leniore aliquando aura esse venturum, etiamtum vero fervere, respondet:

*ἐξέλεσαν γὰρ Οἰδίοιο κατεύγματα. (V. 690.)*

Sed non modo, antequam Eteocles fratri obviam iret, dirae Oedipodis ita commemorantur, ut magnam eas perniciem illi allaturas esse appareat, sed etiam fratrum caede iam perpetrata quum pluribus locis tum in carmine lugubri, quod incipit a versu 852, repetitur sententia, causam miserae illius stragis referendam esse ad patris devotiones. Ex his quum manifestum sit, totam fabulam Septem ad Thebas Oedipi diris tanquam actionis fundamento superstructam esse, non potest dubitari, quin medium trilogiae locum tenuerit fabula, quae esset de Oedipi calamitatibus.

Jam in disputatione nostra ad eam fabulam pervenimus, in qua poetam ipsum testem habemus, Labdacidarum fata eadem trilogia sic fuisse comprehensa, ut prima fabula Laii, secunda Oedipi res exponerentur, ad Septem adversus Thebas fabulam. Quam in fine trilogiae positam fuisse, si ea, quae hucusque disputavimus, recte se habent, necessario sequitur, verumtamen id argumentis ex singulis fabulae ipsius verbis dictisque petitis confirmare, non prorsus videtur supervacaneum. Nam singulas huius tragoediae partes accuratius investigantibus magnus suppetit locorum numerus, qui tum demum recte intelligi poterunt, quum eam tertiam trilogiae fuisse meminerimus. Sunt vero ii loci, quibus poeta ostendit, atroci fratrum morte seriem malorum per tria genera propagatorum tandem ad finem esse perductam. Quorum unus est ver-

sus 795. Choro, qui cognita fratrum morte quum alia tum hoc monuerat, eandem utrique obvenisse sortem (*δαίμονα*) nuntius respondet haec:

*αὐτὸς (ὁ δαίμων) ἀναλοῖ δῆτα δόσποτον γένος.*

Totam autem Labdacidarum stirpem virilem quidem post mutua Eteoclis et Polynicis caedem extinctam fuisse, poetae ipsius testimonio nobis sumendum est, quum Aeschylus hac in re a veteribus tralaticiisque narrationibus discedens illos liberis caruisse fingat, quod idem diserte dicit chorus in gratiarum actione, quae incipit a versu 802. Eodem spectant praeter versum 859, in quo ambo fratres propterea *ἐρειψίτοιχοι* nominantur, quod cum iis tota quasi Labdacidarum domus corrui, duo illi loci, qui magna arte in fine Septem fabulae positi plane dilucideque ostendunt non modo, quid poeta voluerit universa trilogia, sed etiam, quod consilium habuerit in extrema eius parte.

Sunt autem hi:

*Τελευτᾷ δ' αἰδ' ἐπηλάλαξαν  
ἀραὶ τὸν ὄξυν νόμον  
τετραμμένου πανιρόφω φυγᾷ γένους,  
ἔστακε δ' Ἄτας τροπαῖον ἐν πύλαις,  
ἐν αἷς ἐθείνοντο, καὶ  
δυσὶν κρατήσας ἔληξε δαίμων. (v. 926 — 931.)*

Fratribus interfectis Dirae exsultant laetitia, nam totum genus, cuius ultima progenies etiamtum erat invicta, in fugam praecipitaverunt, Alastor tum demum recedit, eoque loco, quo fratres perierunt, *Ἄτης* exstructum est tropaeum. Cum hoc loco prorsus consentit alter, qui legitur in carmine anapaestico sub finem fabulae: (v. 1041 seqq.)

*Ὁ μέγανχοι καὶ φθερογενεῖς  
Κῆρες Ἑρινύες, αἰτ' Οἰδιπόδα  
γένος ὠλέσατε πρόμοθεν οὔτως.*

Jam, priusquam ad alterum huius disputationis caput transeamus, restat, ut de iis, quae viri docti senserunt de trilogiis Thebanis, paucis dicendum esse videatur. Ac primum quidem non sine magno dolore fatendum est, paene omnes a recta declinantes via insignem doctrinae copiam ingenique vires profudisse in proponendis tuendisque coniecturis inanibus ac futilibus, id quod cognitum est a MDCCCLVII inventa a Franzio in Mediceo codice didascalica. Antea duo tantummodo extiterunt viri docti, qui veram trilogiae Labdacidarum rationem assecuti sunt, C. G. Siebelisius et God. Hermannus, quorum alter sententiam suam *ἐν παρέργῳ* propositam argumentis copiosius persequi supersedit, alter aliquot annis postquam verum vidit, aliam opinionem eamque falsam amplecti maluit. Ceteri, quantumvis discrepantes in aliis eius quaestionis partibus, in hoc errore omnes consensisse videntur, ut Aeschyli Septem adversus Thebas mediam fuisse inter duas cycli Thebani fabulas statuerent, quae vero illi mediae adiunctae fuerint tragoediae, tanta inter viros doctos est dissensio, ut omnia ista commenta enumerare singilatimque diiudicare prorsus pigeat, (cfr. Franz. de did. p. 4.) satis habemus, eas opiniones, quae aliquam veri speciem prae se ferre videntur, in disceptationem vocare atque id inprimis agemus, ut vitiosam istam ac divulgatam opinionem, Septem adversus Thebas in media trilogia fuisse positam, refellere studeamus. Ne dicam de Schoellii sententia parum probabili, cui duplicem

fuisse huius fabulae formam placuit, viri docti, qui in illum errorem inciderunt, ut Septem ad Thebas medium tenuisse locum sibi persuaderent, maximam partem videntur adducti esse extrema fabulae parte, quae incipit a versu 989; hac enim ex clausula colligendum esse putarunt, actionem prioris fabulae interruptam continuari debuisse tertia quadam tragoedia, qua vel Antigoniae septemque ducum, vel, si Hermanno credis, Capanei fata explicarentur. Quae ita illi disputaverunt speciosa et ad persuadendum gravissima, fieri non potest, quin maxime moveant eum, qui rem parum caute consideraverit. Et sane si eam ad nostros sensus et ea, quae nostra aetate feruntur, artis tragicae praecepta revocaverimus, haud scio an concedendum sit, tragoediam Septem, siquidem eam trilogiae extremam ponimus, aptius versu 959 finiendam fuisse; at quoniam certissimo didascaliae testimonio sedem huius fabulae in fine trilogiae fuisse constat, nostrum est, evincere, extremam partem ex ipsa tragoediae dispositione esse repetendam, eamque nec spectare necessario ad aliam fabulam, quae illam excipiat, nec sine causa a poeta esse adiunctam. Est omnibus notum et innumeris tragicorum locis comprobatum, sepulturam veteribus gravissimam esse visam, siquidem in Sophoclis fabula Antigonia, ut ne frater insepultus iaceat, vel atrocissima pericula subit, et eiusdem poetae Ajax verens, ne per Atridas sepulturae honore privatus volucrum et canum praeda fiat, Teucro eam curam iniungi iubet. Itaque quum fratrum interfectorum corpora in scenam delata in omnium essent conspectu, non potuit nihil dicere de sepultura graecus poeta. Quod eo magis intelligemus, si consideraverimus, quam diversos et natura et moribus per totam fabulam effinxerit fratres. Alter, Eteocles, quem Aeschylus omnibus locis ea dicentem agentemque fecit, ut optimum regem eum fuisse nobis persuadeamus, civitatem in magno discrimine versantem fortitudine animique constantia servavit incolumem, alter, Polynices, omni fratris amore exutus, hostis factus est Thebanorum eoque processit dementiae atque temeritatis, ut barbarorum exercitu collecto patriae urbi «graece loquenti», quam a Graecis dirui contra ius et fas erat, arma inferre eamque funditus evertere in animum induxerit. Quae quum ita essent, fieri non potuit, quin Creon, qui Eteocli in regno successerat, Polynici, ut patriae hosti, sepulturae honorem denegandum esse censeret, nam civitatem, quae vix e magno discrimine inviolata emersisset, suum sibi ius vindicare consentaneum erat. Concinunt cum his praeconis dicta, qui et ipse eodem fere quo Amphiarus modo acerbissima in Polynicem opprobria iactat. Itaque poetam, ut sibi in describendis tragoediae personis constaret, actionem in extrema fabulae parte ita conformasse apparet, ut Polynices vel mortuus, sepultura regis edicto aliquamdiu retardata, iustas debitasque lueret delictorum poenas. Quae si recte disputavi, Aeschylus, ut qui ipse optimus civis esset, id primum sibi proposuit, ut legum civitatis iusta haberetur ratio; iam vero postquam humanis legibus institutisque satisfactum est, cavendum esse putavit, ne sanctae deorum leges, maiores illae atque graviore, novis illis decretis impie infringerentur. Itaque sub finem fabulae Antigonia ita inducit, ut divinas leges admirabili sua pietate defendere et sic ipsorum deorum quasi causam agere videatur. Adde, quod hoc assecutus est egregius poeta, quod mihi quidem gravissimum videtur, ut spectantium animi tanta scelerum factorumque atrocitate commoti tranquilliore tragodiae exitu placarentur ac sedarentur. Sunt etiam, qui cogitaverint, alteram quandam trilogiam, quae hac extrema fabulae nostrae parte indicetur, cum ea, de qua nos agimus, aliqua rerum ipsarum quasi necessitudine coniunctam fuisse, eiusque rei similitudinem inveniunt in fabulis praestantissimi illius Britannorum poetae, qui, quum totam historiarum seriem pluribus deinceps fabulis persequatur, sub finem singularum, ut ita dicam, trilogiarum indicia eorum, quae sequuntur,

inserere soleat. At ista trilogiarum coniunctio et tam obscura esset et a consuetudine veterum tam aliena, ut talia ne suspicari quidem liceat. Jam apparet ex his, quæ disputavi, Aeschylum non esse vituperandum propter fabulæ *ἔξοδον*, quippe quæ tota pendeat ex universa tragædiæ tractatione neque eam vim habeat, ut quasi viam muniat ad fabulam qualemcunque sequentem. Quamquam negari non potest, plerosque qui huic fabulæ tertiam, quæ de Antigonæ potissimum sorte ageret, consociatam fuisse statuerent, quodammodo excusandos esse, nimirum adductos in eam sententiam maxime eo, quod Sophoclis fabula, cui nomen est Antigona, argumenti perpetuitate quadam coniuncta est cum Septem adversus Thebas; id cur ita sese habeat, acutissime perspexit Schneidewinus, (Phil. III, l. c.) quum hanc ipsam Aeschylæ tragædiæ partem Sophocli novæ fabulæ quasi primas lineas præbuisse coniecisset.

Iam postquam divulgatum illum errorem paucis confutavimus, redeamus ad propositum nostrum et virorum doctorum de trilogiis concinnandis opiniones singulatim percenseamus. Ordiamur ab Hermanno. Missa priorie eius sententia, quam in dissertatione, quæ est de compositione tetralogiarum p. 11, proposuerat, convertamus nos ad ea, quæ vir summus in disputatione de trilogiis Thebanis p. 19 de tragædiis, quæ cum Septem adversus Thebas consociatæ fuisse videantur, si non vere certe subtiliter excogitavit. Is quidem Septem fabulæ præcessisse putat tragædiam, qua initia expeditionis Argivorum atque inprimis Tydei fata explicarentur; tertiam ponit Eleusinos. Nomen vero, quod priori fabulæ fuisse aliqua cum probabilitate dicat, non habere se fatetur, nisi forte appellata fuerit Argivi aut Argivæ. Ac primum quidem Hermannus in eo peccat, quod Septem adversus Thebas medium in trilogia locum tenuisse contendit, tum etiam de universo trilogiæ Thebanæ argumento in eodem, quo Welckerus, versatur, errore, siquidem res Thebanas ea narratas esse ponit. Iam vero si quærimus, quibus tandem indiciis adductus eiusmodi argumentum priori fabulæ fuisse Hermannus coniciat, revocat nos ad locum multum varieque tentatum, qui est in Septem adversus Thebas v. 551, ubi præco sic de Amphiarao prædicat:

*Ὁμολῶσιν δὲ πρὸς πόλεις τεταγμένος  
κακοῖσι βάζει πολλὰ Τυδέως βίαν,  
τὸν ἀνδροφόντην, τὸν πόλεως ταρακτορα  
μέγιστον Ἄργει, τὸν κακῶν διδάσκαλον,  
Ἐρινίος κλητῆρα, πρόςπολον φόνου  
κακῶν δ' Ἀδράστῳ τῶνδε βουλευτήριον*  
x. v. l.

Ita enim hi versus eoque ordine in omnibus libris et editionibus vulgatis leguntur. Sed vellem probasset vir egregius, locum, quo nitatur eius de argumento trilogiæ coniectura, sincerum esse integrumque testem. Nam si quis sententias singulaque verba accuratius excusserit, graviolem hic corruptelam latere vix negabit. Non potuit non mirum videri omnibus, uni Tydeo sex epitheta contumeliosa ingeri eaque non omni ex parte apta. Quare idem Hermannus postea versum 554, quem ex interpretamento ortum esse censet, obelo transfixit, deinde omnia convicia, quæ usque eo in Tydeum iactata exhibebantur, Polynici ingerenda fuisse contendit atque huic sententiæ congruenter locum epithetorum transpositione persanandum esse censet. Qua in re iusto longius progressum esse Hermannum, acute vidit Ritschellius, qui in disputatione <sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> cfr. Neue Jahrbücher für Philol. und Pädag. 1858, 11.

de «rhythmicis» earum orationum, quæ in Septem habentur inter Eteoclem et nuntium, responsionibus de versu 554 e verborum ordine eiiciendo Hermanno adstipulatur, de ceterorum autem versuum et epithetorum collocatione probabiliter ita statuit, ut, quæ epitheta necessario in Tydeum cadere videantur, huic adiuncta maneant, cetera cum Hermanno ad Polynicem reiiciantur. Itaque ex Ritschelii sententia Aeschyli verba hæc fere fuisse verisimile est:

*Ὁμολοῶσιν δὲ πρὸς Πύλαις τεταγμένος  
κακοῖσι βάζει πολλὰ Τυδέως βίαν,  
τὸν ἀνδροφόντην, τὸν πόλεως ταρακτορα,  
κακῶν δ' Ἀδράστῳ τῶνδε βουλευτήριον.*

z. t. λ.

Quæ si recte disputata sunt, nego, quemquam neque ex his de Tydeo dictis, quæ, quum notissima de illo referant, per se satis intelliguntur, idoneum tragœdiæ argumentum petere posse, neque Homeri et Apollodori locis ab Hermanno adscriptis. Nam quod primum requiritur in trilogiæ fabulis, ut singulæ actionis partes tempore sese excipiant, etsi non deesse videmus, si cum Hermanno Argivos primam fuisse statuimus, tamen alterum, quod longe gravissimum est, ut singularum fabularum argumenta communis notionis quasi vinculo quodam inter se contineantur, id in illa tragœdiarum coagmentatione invenire non potui. Sed mittamus hæc et videamus, cur tertiam trilogiæ fabulam Eleusinos fuisse Hermannus statuerit. Ac primum quidem, ut ipsius verbis utar, memorabile esse dicit, quod in Septem, ad Thebas v. 773 præter fratres mutua cæde occisos nullius reliquorum ducum interitus memoretur, bellumque non profligatum, sed primo tantum hostium impetu repulso salva etiamtum urbs esse videatur. Ex his conici posse, in postrema tragœdia, qua finem belli contineri oporteat, reliquorum ducum mortes, in iisque Capanei potissimum esse tractatas. Cuius rei testem affert nuntium (v. 773 seqq.)

*Θαρσείτε παῖδες μητέρων τεθρονημένοι  
πόλις πέφενγεν ἦδε δούλειον ζυγόν,  
πέπτωκεν ἀνδρῶν ὀβριμῶν κομπήσματα,  
πόλις δ' ἐν εὐδίᾳ τε καὶ κλυδωνίου  
πολλάσι πληγαῖς ἄντηλον οὐκ ἐδέξατο*

z. t. λ.

Sed hæc nuntii verba magnopere vereor, ne iusta adhibita interpretatione in sententiam prorsus diversam nos perducant. Nam licet nuntius nullo loco plane diserteque dicat, reliquos duces pugna ante portas finita esse occisos, tamen universa nuntii narratio ita comparata est, ut non primum modo hostium impetum repulsum, verum etiam bellum occisis ducibus profligatum esse significare velle videatur. Quod si cui minus probetur, velim mihi explicet, quo tandem spectet nuntii oratio exornata tot tamque magnificis verbis de urbe feliciter servata. Sane parum accurate dixisset nuntius, si urbem uno hostium impetu repulso servitutis iugum effugisse rettulisset. Tum in gratiarum actione, quæ sequitur a versu 802, chorus magnam de servata urbe deorumque tutela lætitiā tam aperte tantaque fiducia ostendit, ut ne verbo quidem indicet, periculum esse, ne Thebanorum urbs ducibus etiamtum salvis in nova incurrat pericula. Quod vero nuntius nullam de interitu reliquorum ducum mentionem iniicit, tantum abest, ut excusatione id egere mihi videatur, ut eximiam in eo poetæ artem conspici censeam, qui ceteras pugnās quasi leviter attingens id potissimum agat, ut choreutarum animi advertantur ad atrocissimam fratrum mortem, ut rem gravissimam, in qua universæ tragœdiæ summa vertatur.



Et de Hermannii quidem coniectura hactenus, nam illo argumentationis fundamento quasi subducto totam eius disputationem corruiere necesse est.

Jam placet ea, quæ Welckerus de secunda trilogia Thebana excogitavit, paucis exponere, qua in re ne iusto longior sim, satius duxi, hanc disputationem, quam fieri potest, arctissimis finibus circumscribere et ad ea potissimum dirigere, quæ Welckerus depositis prioribus sententiis nuper in libro, qui est de tragœdia græca, hac de quæstione proposuerat. Nam si ea omnia, quæ vir præstantissimus magno cum doctrinæ apparatu ante annum MDCCCXXXIX de singulis trilogiæ fabulis earumque argumentis disseruit, ut maximam partem frustra disputata et ab ipso auctore improbata præterierit, non erit mihi verendum, ne detrectare magis harum rerum pervestigationem quam refutare eum velle videar. Welckerus igitur in libro illo (p. 29) trilogia Thebana hasce coniunctas fuisse ait fabulas, Nemeam, Septem, Eleusiniis. Ad quam confirmandam opinionem quum nulla ipse attulisset argumenta, anno ante didascaliam inventam Max. Planckius <sup>1)</sup> uberiore disputatione eam defendere conatus est, sed frustra. Nam is, scilicet cum plerisque criticis Septem mediam fuisse trilogiæ fabulam certissimum esse iudicans, ex loco, qui est in oratione Eteoclis: (v. 177 seqq.)

*Κεὶ μὴ τις ἀρχῆς τῆς ἐμῆς ἀκούσεται  
ἀνήρ, γυνή τε, χῶ' τι τῶν μεταίχμιον,  
ψῆφος κατ' αὐτῶν ὀλεθρία βουλευέσεται,  
λευστῆρα δῆμον δ' οὐ τι μὴ φύγη μῶρον.*

nonnihil præsidii sibi petere posse videtur, ut edoceat, tertia trilogiæ fabula, Eleusiniis, Antigoniæ potissimum fata pertractata fuisse; pœtam enim vehementissima regis irati obiurgatione significare voluisse, fore ut mulier aliqua temeraria existeret, quæ contra eius et Creontis edicta graviter auderet peccare. Verum omnia, quæ in severissima Eteoclis oratione continentur, neque ulla ratione ad res qualescunque futuras spectare et ita esse dicta, ut deceant regem, qui obsessæ urbis saluti omni diligentia consulat, facile intelligitur. Alterum vero argumentum, quod ducit ex splendidissimis illis nuntii narrationibus iam ab Euripide (Phæn. v. 750) vituperatis, speciem aliquam veri præ se ferre videtur, etenim quod iam alii monuerunt, pœtam alioqui brevissimum non tam copiose expositurum fuisse ait de ducum istorum figura atque habitu eorumque moribus, nisi in fabula sequente primum eos locum habere voluisset. At mihi quidem Aeschylus non hac causa videtur esse ductus, ut in describendis ducibus epici pœtæ copiam sequeretur, sed aliis eisque gravissimis. Quum enim universæ trilogiæ ratione singulisque pœtæ dictis satis indicatum esset, Polynicis interitum quum ex veteri illo Laii delicto tum ex patris execrationibus esse repetendam, non potuit pœta in incerto relinquere, quomodo factum esset, ut etiam ceteri eius belli socii una cum Polynice perirent. Quod si ex tragicæ artis præceptis necessarium fuisse conceditur, — Aristoteles quidem personas tragicas ita describi oportere docet, ut, si puniantur, pœna dignæ videantur — præclare institutum est ab Aeschylō, ut pluribus describeret immanem Tydei et ceterorum ducum ferociam superbūque deorum contemptum, cuius iustas pœnas mox essent daturi teste Eteocle:

*αὐτοῖς ἐκείνοις ἀνοσίτοις κομπάσμασιν  
ἢ τ' ἂν πανώλεις παγκάκως τ' ὀλοίατο. (v. 532)*

<sup>1)</sup> Zeitschrift für Alterth.-Wiss. 1847, No. 110 — 113.

Accedit, quod, quum totius fabulae actio versetur in dimicatione Thebanorum hostiumque urbem impugnantium, quam ipsam dimicationem non potuit in scena ante oculos ponere, necesse erat, alia poëtam uti ratione, qua imaginem tamen eius et speciem mentis, ut ita dicam, oculis proponeret; idque eum tum virginum choro pugnarum vices anxie expectantium tum ducum ingenio moribusque copiosius describendis egregie assecutum esse, quis est, quin videat? Quas causas si quis accurate perpenderit, non iam poterit, opinor, vituperare, quæ multis laudibus sunt efferenda. Idem Planckius Septem fabulæ Nemeam priorem fuisse putat, de cuius argumento quamquam nihil certi se eruere posse fatetur, tamen ex Septem probabiliter hoc conficere sibi visus est, Polynicem fuisse primariam eius tragœdiæ personam totumque argumentum versari in exponenda, ut ita dicam, officiorum repugnantia quadam. Nam Polynicem vi et iniuria ex patria pulsum suo quidem iure fratri bellum inferre, sed quum id agat, ut sua sibi vindicet, fœde violare pietatis officia multo graviora. Eodem spectare vult secundæ et tertię tragœdiæ argumentum. At primum, quo iure Sophocleas notiones obtruserit Aeschylø, ipse viderit, tum, ut de reliquis, quæ interciderunt, fabulis liberum sit iudicium, de media certe, quam ille ponit, quid sit statuendum, quoniam adhuc superstes est, ad liquidum potest perducī. Manifestum est enim, summam tragœdiæ Septem a poëta non in officiorum contentione quadam declaranda, sed in Labdacidarum fati accuratius explicandis fuisse positam. Jam nolo plura dicere de Hermanni et Welckeri sententiis, ceterorum vero, ut Od. Muellerei, Klauseni, Bodii, opiniones eo magis praetereunda esse duxi, quod, si in iis adumbrandis refutandisque diutius versarer, eadem fere argumenta, quibus iam supra usi sumus, essent proferenda.

